Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 3245

Quelle:
Copyright:

tamen *Swederus* terga vertere, et *Basileae* in Concilio a. 1433. extorris mori opus habuit, ut pluribus *supracit.* Historici.

XIII. *fol.* 192. *Epistola magistri G. groet de scismate.* Tractatum potius theologicum dicas pii Viri *Gerardi Groot* sive *Magni Daventriensis*, Institutoris Clericorum *Communis Vitae*, dignissimi, cujus vitam *Thomas Kemp.* nobis conscriberet. Adi de Eo *Foppenii Bibl. Belg.* P. I. p. 354. ubi dicitur *Epistola* nostra ad *Cantorem Parisiensem* scripta. Ejus initium est: *Magister et pater reuerende. De scismate nullum uidi de nouis ita clare et doctoraliter locutum sicut thomam in 2ª. 2ᵉ. — Juriste loquuntur promiscue de Heresi et de scismate. — Michi uidetur quod scisma est magis facti. heresis est magis in mente diuisio et discessus, et discessio est quedam realis facti separacio. Vnde scisma non includit heresim, sed disponit ad heresim* &c. Atque ita sensim ingreditur in Quaestiones temporis sui, quo *Urbanus* VI. et *Clemens* VII. Ecclesiam dividebant, magna libertate usus, ut vel e fine colligas: *Quidquid sit, sic suggessit mens, que valde vnitatem desiderat, que vellet, quod ambo pontifices cum omnibus cardinalibus cantarent in celo empyreo gloria in excelsis et alius verus elyachim poneret pacem et vnitatem in terris eciam si non esset ex progenie viperarum. sed hec est hora et potestas tenebrarum. liberet nos deus a malo amen. Ve primum et ecce ve secundum, sed libera nos a malo piissime pater criste altissime qui nullum amare concupimus nisi in te et in sponsa tua dilectissima inconsutili.*

XIV. *fol.* 197. *Ex Dictis Doctoris eximij Henrici de Gorickam scripta ydonea contra Apostatas Wyclepb. Hus et Suos.* In margine: *In vniuersitate Colon.* Ibi enim *Batavus* noster *Gorcomiensis* ab a. 1419. Professor, Gymnasii *Montani* Regens, Canonicus et Procancellarius fuit. Excerpta incipiunt: *Circa materiam errorum Wiclepb et Hus queritur questio talis. Vtrum optimum regimen Ecclesie ad salutem cbristi fidelium requirat vnum summum pontificem* &c. Tractatus, unde depromta, lucem vidit *Coloniae* 1503. teste *Harzbemii Bibl.* p. 119. ubi et reliqua Viri Scripta.

DCCCCLXV.

Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 281. f. scriptus in *Italia* et cum Bibliotheca *Fuggeriana Caesareae* illatus ita insignitur: *Ad sanctissimum atque beatissimum Patrem D. Eugenium Papam Quartum Fratris Johannis Leonis Romani Ordinis Prædicatorum: De Synodis et Ecclesiastica Potestate, incipit Liber primus.* Autor de Sede Pontificia bene meritus post *Basileensem*, *Florentinam*que Synodos episcopatu *Larinensi* in *Siciliæ citra Pharum* regno donatus est ab eodem *Eugenio* anno 1440. quem fortassis usque ad an. 1488. tenuit. Opus illius VII. Libris definitur, quo- 349